



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Quæst. 2. De Cognitione Dei circa se ipsum, possibilia, & alias res aliquando existentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

Q U Æ S T I O II.

*De cognitione Dei circa se ipsum, possibilis,
& alias res aliquando existentes.*

ARTICULUS I.

Utrum Deus se ipsum cognoscat, & comprehendat.

R E S P O N S I O I.

Deus se ipsum cognoscit. Ita S. Th. q. 14. art. 2.
Probatur 1. ex Script. Nam 1. Cor. cap. 2. dicitur: Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei... que Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. 2. Ratione. Quia Deo nihil deest ad cognoscendum se ipsum. Ergo, &c. Probat. ant. Quia si quid ei deest, vel ex parte objecti, vel ex parte potentiae, vel ex parte conjunctionis objecti cum potentia. Nihil horum dici potest. Non primum. Nam cum intrinseca cognoscibilitas sit affectio entis in actu, & Deus sit maximè ens in actu, quia est ens possibile summè necessarium, non potest non habere maximam cognoscibilitatem intrinsecam. Non secundum. Nam habet vim intelligendi infinitè vivacem, & in intelligendo à quocumque alio planè independentem. Non denique tertium. Nam essentia divina cum omnibus suis attributis & absolutis & relativis cum intellectu divino per identitatem perfectissimè conjuncta est. Ergo, &c.

R E S P O N S I O II.

Deus se ipsum cognoscit cognitione perfectè comprehensiva. Ita S. Thomas hic q. 14. art. 3.

Prob. 1. ex Script. Nam hæc verba Apostoli, Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei, non qualemcumque Dei cognitionem, sed perfectè comprehensivam significant, ut Patres docent. 2. Ratione S. Thomæ. Tunc, inquit, dicitur aliquid comprehendere, quando pervenitur ad finem cognitionis ipsius, & hoc est, quando res cognoscitur ita perfectè, sicut cognoscibilis est... Manifestum est autem, quod Deus ita perfectè cognoscit seipsum, sicut perfectè cognoscibilis est. Est enim unumquodque cognoscibile secundum modum sui actus... tanta est autem virtus Dei in cognoscendo, quanta est actualitas ejus in existendo. Ex quibus verbis sic argumentor. Illud objectum comprehenditur, quod tam perfectè cognoscitur, quam perfectè cognosci potest. Atqui Deus se ipsum tam perfectè cognoscit, quam perfectè potest cognosci. Ergo, &c. Major patet ex terminis. Prob. min. Tanta est in Deo vis intelligendi, quanta est ejus cognoscibilitas intrinseca. Ergo tam perfectè, &c. Prob. ant. Nam illa sunt inter se aequalia, quæ habent eandem mensuram. Atqui intellectivitas Dei, & ejus intrinseca cognoscibilitas, habent eandem mensuram, nempe summam ejus actualitatem. Quælibet enim substantia spiritualis est intellectiva & intelligibilis intrinsecè secundum modum sui actus, hoc est, secundum modum suæ perfectionis. Nam actus & perfectio, esse in actu & esse perfectum, sunt idem. Ergo, &c.

Confirmatur & declaratur ampliùs S. Doctoris ratiocinium. Substantia spiritualis eò plus habet intellectivitatis & intelligibilitatis intrinsecæ, quò perfectior est: & eò perfectior est, quò minus habet potentialitatis: & eò minus habet potentialitatis, quò plus habet actualitatis. Nam esse in actu excludit esse in potentia, sicut & vicissim. Ergo à primo ad ultimum substantia spiritualis eò plus habet intellectivitatis & intelligibilitatis intrinsecæ, quò plus habet actualitatis. Ergo si summam habeat actualitatem, summam habet intellectivitatem & intelligibilitatem intrinsecam. Atqui Deus summam habet actualitatem; nihil enim omnino potentialitatis in eo est. Ergo summam habet intellectivitatem & intelligibilitatem intrinsecam. Summum autem non exceditur à summo, & summum in ratione intellectivi tantum

est in ratione intellectivi, quantum est in ratione intelligibilis id quod summum est in ratione intelligibilis. Ergo in Deo propter summam ejus actualitatem æquales sunt inter se intellectivitas & intelligibilitas intrinseca, proindeque necesse est Deum se ipsum tam perfectè intelligere, quam perfectè intelligibilis est.

Prob. 3. Illa cognitio est comprehensiva, quæ perfectè adæquat intrinsecam objecti cognoscibilitatem tum intensivè, tum extensivè. Quid enim amplius requiras ad cognitionem comprehensivam? Atqui cognitio, qua Deus se ipsum cognoscit, perfectè adæquat cognoscibilitatem ejus tum intensivè, tum extensivè. 1. Adæquat eam intensivè, quia Deus cognitione sua se ipsum repræsentat tanta claritate, quanta ex se exigit repræsentari. 2. Adæquat eam extensivè, quia Deus cognitione sua clarè & distinctè repræsentat omnes suas perfectiones, omnesque earum partes & gradus virtuales, quod secundum manifestè sequitur ex primo. Non enim potest Deus cognitione sua clarè & distinctè non repræsentare omnes perfectiones suas, omnesque earum partes & gradus virtuales, hoc ipso quod seipsum repræsentat tanta claritate, quanta ex se exigit repræsentari. Quòd autem se ipsum repræsentet tanta claritate, quanta ex se repræsentari exigit, probatur ex eo quòd se ipsum cognitione sua repræsentet infinita claritate: cum nihil nisi infinita claritate repræsentet propter suam in intelligendo infinitam activitatem, qua carere non potest ens, quo nihil melius esse vel cogitari potest. Hæc enim activitas & vivacitas infinita est perfectio maxima, & melior ipsa, quam non ipsa. Rationem hanc insinuat S. Doctor a. 3. ad 1. ubi sic ait: Sicut Deus dicitur esse in se ipso, quia à nullo exteriori continetur; ita dicitur comprehendere à se ipso, quia nihil est sui, quod lateat ipsum. Dicit enim Augustinus in libro de videndo Deum, quod totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem.

Obj. ex S. Augustino lib. 83. quæst. q. 14. Quod comprehendit se, finitum est sibi. Sed nequidem sibi finitus esse, dici potest Deus: cum sit omnibus modis infinitus. Ergo, &c. R. Cum S. Thomas ad 2. Deum dici non posse finitum sibi, hoc sensu quòd intelligat se esse aliquid finitum; sed eo sensu quòd in ratione intelligibilis non magis excedat se ipsum in ratione intellectivi, quam objectum finitum excedit intellectum finitum. Finitus est sibi, quatenus ita cognoscit se ipsum, ut perveniat ad finem cognitionis sui; & pervenit ad finem cognitionis sui, quia ita perfectè cognoscit se ipsum, ut nihil in eo sit cognoscibile, quod non cognoscat, & quod proinde superfit cognoscendum.

ARTICULUS II.

Utrum Deus cognoscat possibilis cognitione propria.

R E S P O N S I O I.

Deus cognoscit possibilis.

Prob. 1. ex Script. Nam Rom. cap. 4. dicitur de Deo: Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt. At si Deus tam vocat ea, quæ non sunt, quam ea quæ sunt; tam novit ea, quæ non sunt, quam ea, quæ sunt. Quæ enim non cognoscuntur, vocari nequeunt. Præterea, cum Deus ita vocet ea, quæ non sunt, ut vocando faciat, ut sint, juxta illud Plal. 32. Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt; antequam essent, aut etiam futura essent pro ulla differentia temporis, ea certè cognovit; prius enim voluit ea vocare, quam vocaret; nam ab æterno voluit ea vocare, & ea non vocat, nisi in tempore; non potuit autem velle ea vocare, nisi prius ratione ea, ut ita loquar, de nōmine cognosceret. Ergo res, quæ aliquando sunt, Deus cognoscit prius quam futura sint pro ulla differentia temporis, & consequenter cognoscit illas ut possibles. Quòd si Deus res, quæ aliquando sunt, cognoscit ut possibles, cognoscit etiam cetera omnia, quæ nunquam sunt, sed

sed esse possent: cum hoc ipso quod esse possint, tam apta sint ad terminandam cognitionem divinam, quam res, quae aliquando sunt, sunt aptae pro illo priori, pro quo nondum futurae sunt.

Prob. 2. Ratione S. Thomae hic q. 14. art. 3. Deus perfectissimè se ipsum comprehendit, ut probatum est. Ergo perfectissimè comprehendit omnipotentiam suam, sicut & alia omnia sua attributa. Ergo cognoscit ea omnia, ad quae se extendit ejus omnipotentia. Manifestè enim repugnat virtutem aliquam perfectissimè cognosci, quin cognoscantur ea omnia, ad quae valet virtus illa. Atqui omnipotentia divina extendit se ad omnia possibilia, hoc est, ad ea omnia, quae in sua ratione non involvunt esse & non esse. Ergo si perfectè aliquid cognoscitur, inquit S. Doctor in O. necesse est quod virtus ejus perfectè cognoscatur. Virtus autem alicujus rei perfectè cognosci non potest, nisi cognoscantur ea, ad quae virtus se extendit. Unde cum virtus divina se extendat ad alia, eo quod ipsa est prima causa effectiva omnium entium, necesse est, quod Deus alia à se, nempe ea omnia, quae possibilia sunt, cognoscatur.

Prob. 3. Deus non potest non cognoscere ea omnia, quorum habet ideas in mente sua. Atqui habet in mente sua ideas seu rationes omnium possibilium. Ergo, &c. Major patet experientia intellectus nostri, qui cognoscit ea omnia, quorum habet ideas; cognoscit, inquam, vel actu, quando ad illas ideas advertit, vel saltem habitu, quando non advertit ad illas ideas. Quia autem intellectus divinus nunquam desinat advertere ad ideas, quas habet, quia semper est in actu suae virtuti adaequato, semper actu cognoscit omnia, quorum habet ideas.

Prob. ergo min. Deus habet in mente sua ideas rerum omnium, quas potest facere. Atqui potest omne possibile. Ergo habet ideas omnium possibilem. Minor constat ex dictis de omnipotentia divina, quam probavimus extendere se ad illud omne, cui non repugnat esse, seu quod in suo conceptu non implicat esse & non esse. *Prob. maj.* Quia Deus non operatur ad extra nisi per scientiam, juxta illud Psal. 103. *Omnia in sapientia fecisti.* Unde S. Augustinus lib. 11. de Civ. Dei c. 7. dicit Angelos cognoscere creaturas in Dei sapientia, velut arte, qua factae sunt. Et ratio est, quia cum Deus sit agens perfectissimum, non potest agere ad extra, nisi modo perfectissimo, qui est per scientiam perfectissimam agere. Ergo Deus non agit ad extra, nisi per modum perfectissimi artificis. Qui enim operatur per scientiam, operatur per artem; cum scientia practica & ars sint unum & idem. Qui autem operatur per artem, est artifex. Atqui peritus artifex habet ideas omnium operum, quae potest facere; artifex enim dicitur, qui operatur, vel operari potest ad imitationem idearum seu exemplarium, quae habet in mente, & quibus opera sua assimilant, nisi deficiat in operatione sua. Ergo Deus habet in mente sua ideas, seu exemplaria rerum omnium, quas potest facere ad extra. Quod erat probandum. Sed de ideis divinis fusiùs adhuc agetur infra suo loco.

Obj. 1. ex S. Augustino in lib. 83. quaest. q. 46. Deus nihil extra se ipsum intuetur. Ergo, &c. Respondet S. Thomas art. proxime citato, Deum nihil extra se ipsum intueri in se ipso, hoc est, Deum nihil præter se ipsum cognoscere per speciem propriam, adaequatam ipsi cognoscibili, quia omnia alia à se cognoscit in sua essentia, immediatè, per se, & non in alio, aut per aliud cognita. R. 2. S. Augustinum hic impertinenter ad rem nobis obijci: nihil enim aliud dicit, quam Deum habuisse & habere in mente sua ideas seu species rerum omnium, quas condidit, & in illis condendis non opus habuisse exemplaribus extra ipsum subsistentibus, quae intueretur, & ad quorum imitationem operaretur. Singula igitur, inquit, propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente creatoris? Non enim extra se quidquam possumus intuebatur, ut secundum id constitueret, quod constituerebat; nam hoc opinari sacrilegum est.

Simonne Theol. Tom. I.

Obj. 2. Si Deus cognoscit alia à se, putà creaturas posibles, aliquid aliud à Deo erit perfectio Dei: nam intellectum est perfectio intelligentis: & ita aliquid aliud à Deo erit nobilius Deo: nam id quod perficit, nobilius est eo, quod perficitur. Absurdum conf. Ergo, &c. R. n. seq. maj. *Ad prob. R.* cum S. Thomas art. ad 2. proxime citato, quod intellectum est perfectio intelligentis, non secundum suam substantiam, sed secundum suam speciem: secundum quam est in intellectu, ut forma & perfectio ejus. Lapis enim v. g. non est in anima, sed species ejus. Unde intellectum non est perfectio intelligentis, nisi quando intelligitur per speciem propriam, ipsi adaequatam, & ab ipso impressam intellectui. Deus autem non sic intelligit alia à se, sed vel ea videt in se ipso, tanquam in speculo, vel ex infinita simpliciter perfectione intellectus sui cognoscit ea absque omni medio, hoc ipso præcisè, quod apta sunt ad terminandam intellectionem divinam. Unde Deus non rebus, quas extra se cognoscit, sed sibi soli totam intellectus sui perfectionem debet.

Obj. 3. Intellectio speciem habet ab intelligibili, sicut & omnis alius actus à suo objecto. Unde intellectio tantò est nobilior, quantò etiam nobilius est ipsum, quod intelligitur. Ergo si Deus præter se ipsum cognoscit creaturas, intellectio divina speciem habet à creaturis. Quod repugnat. Repugnat enim perfectionem intellectionis divinae mensurari & aestimari ex perfectione creaturarum. R. Tunc tantum intellectionem speciem habere ab intelligibili, quando intelligibile vel per se, vel per speciem propriam est principium intellectionis. Unde N. conseq. quia creaturae, quas Deus præter se ipsum intelligit, nec per se, nec per speciem propriam sunt principium intellectionis divinae. Nam 1. vel videntur in essentia divina, ratione priùs visa, & tunc non videntur per speciem propriam, sed per speciem alterius, nempe essentiae divinae, quae se ipsa aequivalenter est sui & creaturarum species, quatenus est per se ipsam ratio intellectui divino videndi ipsam & creaturas, seu quatenus se ipsam & creaturas ita exhibet intellectui divino, ut nihil amplius requiratur ex parte objecti, ut ipsa videatur, & in ea visa tanquam in speculo videantur creaturae. Unde tunc, non creaturae, sed essentia divina est, non quidem formaliter, sed aequivalenter, principium intellectionis divinae, quae proinde tunc, non à creaturis, sed ab essentia divina specificatur. Hanc doctrinam tradit S. Thomas art. proxime citato ad 3. ubi dicit, quod, quando scilicet plura uno & eodem indivisibiliter actu intelliguntur, ita ut unum per se intellectum sit ratio intelligendi alia, quae continet in se cum quadam eminentia & excessu perfectionis, ipsum intelligere non specificatur per id, quod in alio intelligitur, sed per principale intellectum, in quo alia intelliguntur. Quod probat sic. Intantum enim ipsum intelligere specificatur per objectum suum, in quantum forma intelligibilis (hoc est, species objecti) est principium intellectualis operationis. Nam omnis operatio specificatur per formam, quae est principium operationis: sicut calefactio per calorem. Unde per illam formam intelligibilem specificatur intellectualis operatio, quae facit intellectum in actu. Et haec est species principalis intellecti. Unde concludit intellectionem, qua Deus se ipsum intelligit, & in se ipso intellecto creaturas, specificari, non à creaturis, sed ab essentia divina, quae est, modo scilicet à nobis explicato, species principalis intellecti, nempe Dei, continentis in se omnium creaturarum perfectiones cum infinita eminentia, & infinito perfectionis excessu, proindeque omnium creaturarum species proprias cum infinita eminentia & infinito perfectionis excessu in se comprehendentis. Unde in eo intellecto non possunt non intelligi creaturae modo excellentissimo.

2. Vel videntur à Deo in se ipsis immediatè, hoc est, independentè ab omni medio, ratione priùs viso, & tunc neque per propriam speciem, neque per speciem alterius videntur. Tunc enim nihil ex parte objecti

D

assigna-

assignabile est, à quo intellectus divinus determinetur ad eas intelligendas, seu quod sit intellectui divino ratio eas intelligendi, cum tunc eas intelligat, non quia aliunde determinatur, aut completur, sed quia ex se completus & determinatus est ad eas intelligendas, eo quod est simpliciter infinitus in ratione intelligentis; & intellectus simpliciter infinitus in ratione intelligentis, non potest hoc ipso non esse ex intrinseca & propria perfectione, præciso aut sublato quocumque complemento, sive ex parte potentiae, sive ex parte objecti se tenente, completus & determinatus ad intelligendum omne intelligibile. Quare sibi ipse est non solum formaliter perfectissima vis intelligendi omne intelligibile, sed etiam æquivalenter, & quidem modo quodam præstantissimo, species omnis intelligibilis. Unde tunc intellectio divina non à creaturis intellectus specificatur, sed ab intellectu divini in intelligendo independentia ab omni medio, seu ratione intelligendi se tenente ex parte objecti, quæ independentia infinitam simpliciter vim intelligendi, & infinitam simpliciter in modo intelligendi excellentiam denotat.

RESPONSIO II.

Deus cognoscit possibilia cognitione propria.

Prob. Possibilia cognosci cognitione propria, est ea cognosci secundum esse, quod haberent, si producerentur. Atqui sic cognoscuntur à Deo. Ergo, &c. *Prob. min.* duplici medio. Et 1. quidem sic. Deus perfectissimè comprehendit omnipotentiam suam. Ergo distinctè attingit omnia, ad quæ illa se extendit. Non enim potest virtus aliqua perfectè cognosci, nisi distinctè attingatur ea omnia, ad quæ valet virtus illa. Ergo Deus distinctè per intellectionem suam attingit omnia possibilia. Nam omnipotentia extendit se ad ea omnia, quibus esse non repugnat. Ergo Deus cognoscit omnia possibilia secundum esse proprium, quod haberent, si producerentur; alioqui non ea distinctè cognosceret. Ergo, &c. 2. ut probatur est, Deus habet in mente sua ideas, seu exemplaria omnium possibilia, & quidem perfectissima. Atqui intellectus divinus, ut per se manifestum videtur, non potest non distinctè & secundum esse proprium ea cognoscere, quorum habet ideas & exemplaria perfectè exprimentia ea, quorum sunt exemplaria. Ergo, &c.

Obj. 1. contra probationem sumptam ex ideis divinis. Ideæ, quas artifex habet in mente sua, non repræsentant res, quarum sunt ideæ, quoad gradum individuationis, à quo essentialiter præcindunt. Ergo Deus in ideis, quas habet in mente sua, non cognoscit possibilia secundum gradum individuationis, sed ad summum secundum gradum specificum tantum, & ita ad summum cognoscit species, non verò singularem omnium possibilia, proindeque non cognoscit omnia possibilia cognitione propria. Ant. probari potest inductione facili. Nam v.g. idea domus, quam habet architectus in mente sua, non repræsentat hanc numero domum, potius quam aliam ejusdem formæ, sed utramque æqualiter repræsentat secundum formam, præciso utriusque gradu numerico. Unde in repræsentando universalis est, non singularis.

R. n. confeg. Non enim valet ab ideis humanis ad divinas, quæ multum ab illis differunt. Nam idea, quam habet artifex, est tantum idea formæ operis; est enim tantum idea rei, quam facit artifex. Artifex autem formam tantum inducit in materiam, ex qua facit opus suum; & artefactum, non ab artifice, sed à materia, ex qua fit, habet individuationem suam, hoc est, ut sit hoc numero artefactum. Unde ut dicitur rectè in objectione, idea domus v.g. quam habet edificator, non est singularis, sed universalis in repræsentando; nec est tantum idea hujus numero domus, hoc est, domus ex his numero lignis & lapidibus constantis, sed omnium, quæ eandem formam habere possunt; & plures ac plures numero esse possunt ex pluribus & pluribus numero lignis

& lapidibus. Ex quibus apparet ideas humanas sequi limitationem & imperfectionem artis humanæ, quæ nunquam facit, sed semper supponit materiam, ex qua facit opus suum, cui tribuere non potest, ut sit hoc, sed tantum ut sit talis formæ.

Aliud autem est de ideis divinis. Nam necessariò correspondent arti divinæ, quæ est scientia Dei practica, ejusque amplitudinem & perfectionem sequuntur. Unde cum ars divina extendat se ad omnes omnino perfectiones operum suorum, proindeque non solum ad operum suorum formas, sed etiam ad eorum individuationes sese extendat, necesse est ideas divinas non solum formas omnium operum supremi Artificis, sed etiam eorum individuationes repræsentare, hoc est, repræsentare creaturarum omnium possibilem non solum gradum specificum, sed etiam gradum numericum, & ita non solum repræsentare omnes species possibilem, sed etiam omnia individua, vel potius non repræsentare species omnes possibles, nisi in individuis possibilibus distinctè & singillatim repræsentatis. Ex quibus apparet ideas divinas non esse universales in repræsentando, quod magnam imperfectionem involvit, sed singulares; nec in mente divina unam ideam pluribus individuis etiam ejusdem speciei communem existere, sed singulorum individuum singulas ideas, non quidem realiter, sed virtualiter tantum inter se distinctas, Deum in mente sua habere, in quibus, ut potè objecta sua perfectè & adæquatè repræsentantibus, non potest non propria cognitione singula individua possibilia perfectissimè cognoscere.

Hæc autem planè consonant Angelico Doctori hic q. 14. art. 11. in O. ubi probat etiam singularia à Deo cognosci, & dicit scientiam Dei practicam extendere se ad id omne, ad quod se extendit virtus divina, ac proinde extendere se etiam ad singularitates; cum etiam ad illas virtus divina sese extendat. Unde concludit Deum, qui in essentia sua videt omnia sibi possibilia, in essentia sua, sive quatenus est principium activum rerum, sive quatenus est earum similitudo, seu idea, cognoscere omnia quæ facit (idem supple de iis omnibus, quæ facere potest) non solum in universali, sed etiam in singulari. Addit denique quod similiter artifex non solum in universali, sed etiam in singulari omnia, quæ facit, cognosceret per artem suam, si per eam totam rem faceret, & non tantum formam. Quæ satis intelliguntur ex iis quæ à nobis dicta sunt.

Obj. 2. Possibilia non habent esse proprium. Ergo non possunt cognitione propria cognosci. *R.* possibilia non habere esse proprium actu & exercitè, sed habere possibiliter, quia illud esse proprium possibilem potest à Deo produci. Omne autem, quod potest à Deo produci, potest ab eo cognosci, & ab eo cognoscitur cognitione propria: alioqui simul posset & non posset ab eo produci. Posset quidem, ut supponitur; & non posset, ut faciliè probatur. Deus enim, ut jam dictum est, nec operatur, nec operari potest ad extra, nisi modo perfectissimo, & consequenter nec operatur, nec operari potest ad extra, nisi per scientiam perfectissimam, & per modum perfectissimi artificis, agentis ad imitationem perfectissimi exemplaris, in ejus mente præexistentis, in quo perfectissimè cognoscit id, quod intendit facere. Ergo Deus nec facit, nec facere potest ad extra, nisi quod perfectissimè cognoscit cognitione propria in idea, quam habet in mente, & cui intendit assimilare opus suum, cum ad extra operatur. Unde sequitur manifestè, quamlibet creaturarum possibilem, hoc ipso quod possibilis est, necessariò habere esse proprium objectivè & repræsentativè in idea divina sibi respondente, & æternum atque incommutabiliter in mente divina existente; & ita hoc ipso quod possibilis est, sive etiam existat, sive non, non posse non cognosci à Deo cognitione propria, & secundum esse proprium.

ARTICULUS III.

Utrum Deus cognoscat praesentia & praeterita.

RESPONSIO I.

Deus praesentia omnia cognoscit. Est de fide.

Prob. 1. ex Script. in qua haec veritas evidenter exprimitur. Nam dicitur ad Hebr. c. 4. Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus. Genes. c. 1. Vidit Deus cuncta, quae fecerat, & erant valde bona. Et Job. c. 28. Ipse (Deus) fines mundi intuetur, & omnia, quae sub sole sunt, respicit. Et Ecclesiastici c. 23. Omnia videt oculus illius. oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intrinsecas in absconditis partes. Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia. Quibus Scripturae textibus minutissimorum etiam quorumlibet existentium manifeste comprehenditur distincta cognitio, quae ulterius demonstrari potest ex iis locis, quibus asseritur Deum etiam minimorum quorumque providentiam habere, ut cum Matth. c. 10. Christus ait: Nonne duo passeret asse vaneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos. Nam si Deus rebus etiam minutissimis providet, quomodo hominum praesentium sibi amicorum providentiam non habebit? Cum autem providentia, quam circa minutissima quaeque exercet Deus, non sit tantum generalis, qualem v. g. reges circa subditos suos exercent; talis enim supremo & perfectissimo provisorio minime congruit; sed in singula, quibus Deus providet, distincte cadat; non potest esse sine distincta cognitione singulorum. Ergo, &c.

Prob. 2. Ratione. Intellectus divinus potest cognoscere id omne, quod habet realem & intrinsecam cognoscibilitatem. Nam hoc potest etiam intellectus creatus, ut experientia docet. Atqui omnia praesentia habent realem & intrinsecam cognoscibilitatem. Reales enim & intrinseca cognoscibiles est affectio omnis entis in actu. Ergo Deus potest distincte cognoscere omnia praesentia. Ergo re ipsa omnia praesentia cognoscit. Intellectus enim divinus, cum sit infinitus simpliciter in genere intelligentis, sic ut in genere intelligentis nihil melius esse vel cogitari possit, semper est in actu intelligendi id omne, quod potest intelligere.

Obj. S. Hieronymus Comment. in Habacuc c. 1. Deo minutissimorum existentium distinctam cognitionem aperte denegat. Sic enim loquitur: Sicut in hominibus etiam per singulos Dei currit providentia, sic in ceteris animalibus generalem quidem dispositionem & ordinem, cursumque rerum intelligere possumus. Verbi gratia, quomodo nascatur piscium multitudo, & vivat in aquis: quomodo reptilia & quadrupedia oriantur in terra, & quibus alantur cibis. Ceterum absurdum est, ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula quot nascantur culices, quotque moriantur: quae cimicum, & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo: quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus majorum praeda cedere debeant. Non sumus tam fatui adulatorum Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus: eandem rationabilium quam irrationabilium providentiam esse dicentes. Ex quo liber ille apocryphus stultitia condemnandus est, in quo scriptum est quendam Angelum nomine Tyri praesse reptilibus. Et in hanc similitudinem piscibus quoque & arboribus & bestiis universis proprios in custodia Angelos assignatos. Ergo, &c.

Respondent satis communiter Scholastici, sic distinguendo ant. S. Hieronymus denegat Deo minutissimorum existentium distinctam cognitionem, conjunctam cum amore & benevolentia, qua Deus homines profecquitur, eisque providet, C. ant. Denegat simpliciter, N. ant. Hac responsione excusatur S. Doctor: sed mens Simonnet Theol. Tom. I.

ejus, ut videtur nobis, non satis attingitur. Nam, ut nobis videtur evidenter colligi ex textu, S. Hieronymus, & quidem recte negans eandem esse hominum & ceterorum animalium providentiam, hoc discrimen constituit in eo, quod Dei providentia currat per singulos homines, non item per singula alia animalia, ita ut Deus hominibus non solum universaliter, sed etiam singulariter, ceteris vero animalibus non singulariter, sed universaliter tantum provideat; seu ita ut Deus non solum hominum multitudini, sed etiam singulis individuis hujus multitudinis, ceterorum vero animalium multitudini tantum provideat, & ita specialem hominum, ceterorum vero animalium generalem tantum curam gerat. Quod ut probet, asserit non sine absurditate, & divinae majestatis depressionem dici posse, quod Deus singulorum animalculorum, imò & piscium, ac proinde & ceterorum animalium distinctam cognitionem habeat, sine qua tamen distincta cognitione singulorum animalium curam gerere non potest. Itaque videtur nobis hac in re lapsus, ac deferendum esse S. Hieronymum.

S. autem Hieronymo respondemus, cum Deus sit intime praesens per suam immensitatem omnibus omnino existentibus etiam minutissimis, & omnia omnino existentia etiam minutissima habeant intrinsecam cognoscibilitatem, omnia omnino existentia etiam minutissima non posse non distincte cognosci ab intellectu divino, cujus vis in cognoscendo infinita valet ad simul cognoscenda plura & plura in infinitum, sive magna sint, sive minuta. Neque ita sentiendum de scientia divina, eam ad ima detrahimus, sed extendimus; cum per hanc etiam minutissimorum distinctam cognitionem non impediatur aut retardetur à distincta contemplatione majorum aliorum quorumcumque cognoscibilium: sicut neque potentiam divinam elevamus, cum eam extendimus ad productionem, & conservationem, aut destructionem etiam minutissimorum entium, quia hoc exigit ratio primi ac supremi entis, nec inde impeditur aut retardari potest à productione vel conservatione entium quorumlibet aliorum nobilissimorum. Similiter neque providentiae divinae detrahimus, cum asserimus Deum providere singulis minutissimis pro eorum modulo, quia inde ne minimum quidem potest impeditur vel retardari à speciali providentia circa nobiliores substantias etiam singillatim exercenda.

RESPONSIO II.

Deus cognoscit etiam omnia praeterita. Est de fide.

Prob. 1. ex Script. Nam 1. haec Apostoli verba ad Hebr. c. 4. Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus, generalia sunt, & generaliter accipienda; cum nulla sit ratio ea restringendi; proindeque tam de praeteritis quam de praesentibus intelligi debent. 2. Dicitur Psal. 138. Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima & antiqua, hoc est praeterita. Et Ecclesiastici c. 39. Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis ejus: à seculo & usque in saeculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu ejus. Certè si opera omnis carnis sunt coram Deo, si à saeculo usque in saeculum respicit, omnia sive praeterita, sive praesentia, sive futura, semper & invariabiliter intuetur. Et si nihil mirabile est in conspectu ejus, certè quia nihil planè ignorat, aut ignorare potest; admiratio enim ignorantis est. Hinc Deus aliquando singulis hominibus reddere poterit, & reddet secundum opera eorum. Hinc, ut eodem loco prosequitur Ecclesiasticus, non est dicere: Quid est hoc, aut quid est istud? omnia enim in tempore suo querentur, hoc est, à Deo ponderabuntur, & laude vel vituperio, mercede vel poena digna afficientur.

Prob. 2. Ratione. Nam Deus cognoscit omne cognoscibile. Sed praeterita sunt cognoscibilia, ut docemur experientia nostra. Ergo, &c. Praeterea, Deus distincte cognoscit omnia praesentia, ut superiori Respons. demonstratum est. Sed omne, quod semel cognoscit, semper & pro semper eodem planè modo cognoscit.

D 2 Ergo

Ergo omnia, quæ aliquando sunt, distinctè cognoscit, etiam postquam defuerint esse. Minor probatur ex scientiæ divinæ invariabilitate, quam eleganter exprimit S. Augustinus lib. 11. de Civ. c. 12. his verbis: *Non quod ullo modo Dei scientia varietur, ut aliud in eo fiat, quæ nondum sunt, aliud quæ jam sunt, aliud quæ fuerunt. Non enim more nostro ille, vel quod futurum est, prospicit; vel quod præsens est, aspicit; vel quod præteritum est, respicit; sed alio modo quodam à nostrarum cogitationum consuetudine longè latèque diverso: ille quippe, non ex hoc in illud, cogitatione mutata, sed omnino incommutabiliter videt: ita ut illa quidem, quæ temporaliter sunt, & futura, nondum sint, & præsentia, jam sint, & præterita, jam non sint: ipse vero hæc omnia stabili ac sempiterna præsentia comprehendat... nec aliter nunc, & aliter antea, & aliter postea: quoniam non sicut nostra, ita & ejus quoque scientia trium temporum, præsentis videlicet, & præteriti, vel futuri, varietate mutatur: apud quem non est immutatio, nec momenti obumbratio. Neque enim ejus intentio de cogitatione in cogitationem transit, in cuius incorporeo continuo simul ad sunt cuncta quæ novit. Deus igitur ab æterno & pro æterno res omnes, aliquando existentes, incommutabiliter videt pro tali differentia temporis esse, pro anteriori nondum esse, & pro posteriori non amplius esse, si re ipsa aliquando desinant esse; & ita tam præterita, sicut & futura cognoscit, quam præsentia.*

ARTICULUS IV.

Utrum Deus cognoscat res omnes absolute futuras.

Nota 1. Absolute futurum dicitur illud omne, quod nondum est, & aliquando erit. Dividitur in necessarium & liberum. Necessarium est illud, quod erit à causa naturaliter & necessariò operante, hoc est, à causa, quæ in actu primo completa, habensque omnia ad agendum prærequisita, non poterit non agere. Liberum est illud, quod erit à causa agente ex propria electione, ac proinde à causa, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, poterit agere vel non agere ex propria determinatione, & re ipsa ager, quia se ipsa determinabit ad agendum potius quam non agendum, aut ad agendum potius hoc, quam illud.

Nota 2. Futurum necessarium duplex est: unum scilicet, quod erit à causa necessaria, naturaliter impedibili, ut dies crastinus; & alterum, quod erit à causa necessaria, naturaliter impedibili, ut mors secutura ex tali morbo; qui tamen à perito medico sanari posset. Unde hoc futurum, quamvis necessarium, dicitur contingens latè, quia sic erit & quidem necessariò à causa sua non impedita, ut etiam naturaliter posset non esse, quia causa ejus, quantumvis necessaria, posset etiam naturaliter impediri. Hinc absolute futurum dividitur etiam in latè contingens, & strictè contingens. Latè contingens est illud quod erit à causa ad unum determinata, sed naturaliter impedibili. Strictè verò contingens est illud, quod erit à causa activè indifferente ad opposita; & est adhuc duplex: unum nempe, quod pendet à solo Deo, qualia sunt ea omnia quæ Deus solus ad extra facturum est; & aliud, quod non à solo Deo, sed etiam à creatura rationali dependet, quales sunt omnes actus liberi voluntatis humanæ vel Angelicæ, aliquando eliciendi. His præsuppositis sit

RESPONSIO I.

Deus cognoscit omnia absolute futura, quæ ab eo solo dependent.

Prob. 1. ex Script. Nam Eccl. cap. 23. dicitur: *Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita.* 2. ex S. August. lib. 5. de Civ. cap. 9. ubi de Deo ait: *Novit incommutabiliter omnia, quæ futura sunt, & quæ ipse facturus est.* 3. Ratione. Nam Deus ab æterno cognovit omnia sua decreta, ac proinde ab æter-

no cognovit ea omnia, quæ decrevit facere in tempore. Ergo nihil ignorat eorum, quæ ipse in tempore facturus est.

RESPONSIO II.

Deus cognoscit omnia absolute futura necessaria, sive etiam latè contingentia sunt, sive non.

Prob. Nam Deus perfectè cognoscit naturam, dotes, energiam causarum naturalium. Item perfectè cognoscit seriem & ordinem earum; cum ipse hunc ordinem constituerit, & constitutum conservet. Ergo perfectè cognoscit omnes illarum causarum effectus futuros; cum perfectè cognoscat, quinam naturaliter impediri possint, quinam verò non; & exiis, qui naturaliter impediri possunt, quinam sint re ipsa impediendi, quinam verò non. Hæc enim ignorari non possunt ab eo, qui perfectè cognoscit naturam, dotes, &c. causarum naturalium, ut per se manifestum est.

RESPONSIO III.

Deus perfectè cognoscit omnia absolute futura libera & strictè contingentia, quæ ab ipso simul & à creatura rationali dependent. Est de fide.

Prob. 1. ex Script. Nam dicitur Psal. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longe: semitam meam, & funiculum meum investigasti: & omnes vias meas prævidisti.* Et Eccl. c. 39. *Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis ejus. A seculo usque in seculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu ejus.* Quibus verbis Ecclesiasticus Deo attribuit claram & intuitivam cognitionem operum omnis carnis; hoc est, omnium hominum non solum præsentium, sed etiam præteritorum, & futurorum. Et Danielis c. 13. *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, antequam fiant, tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me.* Quæ verba sunt Sulannæ, Deum alloquentis, ipsique manifestè attribuentis certam cognitionem rerum omnium futurarum, & præteritum liberorum actuum, seu bonarum & malarum actionum. Eodem pertinet illud Davidis Psal. 138. *Tu cognovisti omnia, novissima & antiqua.* Quæ verba generalia sunt, nec restrictionem patiuntur.

Prob. 2. ex prædictionibus divinis. Nam Deus quamplurima per Christum & Prophetas etiam minutatim prænuñciavit, quæ postea exactissimè impleta sunt, quamvis eorum eventus à libera hominum determinatione dependeret. Ergo quamplurima ab hominum libera determinatione dependentia, ac proinde quamplurima libera absolute futura præscivit. Non enim prænuñciavit, nisi quæ præscivit, nec distinctissimè prænuñciavit, nisi quæ distinctissimè præscivit. Nec dic Deum conjecturaliter tantum prænuñciasse, & ita conjecturaliter tantum præscivisse. Deum enim conjecturaliter tantum prænuñciare, & ita prænuñciando falli & fallere posse, evidenter repugnat; alioqui Deus non est ens, quo nihil melius esse & cogitari potest. Præterea, tot tam minutatim prænuñciata, & tamen exactissimè impleta, quamvis non sine plurimis plurimorum hominum actibus liberis impleri potuerint, conjecturaliter tantum prænuñciari non potuisse, cordatus quisque facile agnoscat. Ergo Deus omnia libera absolute futura præscit. Nam si aliqua præscire negari non potest, præscire omnia concedendus est: cum non sit potior ratio pro unis, quam pro aliis, neque ex parte ipsorum liberorum absolute futurorum; sunt enim omnia æqualiter scibilia: neque ex parte Dei; nam de intellectu divino dici non potest, quòd ad tot, & non plura, valeat prævidenda; alioqui non est illimitatus in genere intelligentis. Ergo, &c.

Prob. 3. argumento theologico. Si Deus non præscit certò & infallibiliter libera absolute futura, non est Deus. Conf. manifestam implicat contradictionem. Ergo, &c. **Prob. seq. maj.** Quia alioqui non potest certò & infallibiliter prænuñciare libera absolute futura, ut patet ex terminis. Atqui posse certò & infallibiliter prænuñciare libera absolute futura, est divinitatis, ut ita

ut ita loquar, prerogativa, ita ut qui non potest, non sit Deus, & qui potest, sit Deus. Ergo, &c. *Prob. min.* ex Isaia c. 41. ubi per Prophetam sic loquitur Deus ipse: *Accedant, & nuncient nobis, quacumque ventura sunt... quae ventura sunt, indicate nobis. Annunciate quae ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dii estis vos.* Quibus verbis Deus petit à falsis Gentilium Numinibus, 1. ut certò & infallibiliter prænunciant futura: nam demones conjecturaliter prænunciare possunt & prænunciant futura. 2. Ut prænunciant, non aliqua tantum, sed omnia futura, ac proinde ut prænunciant etiam & potissimum ea, quae liberè futura sunt. Nam etiam homines ipsi aliqua, quae nimirum necessariò & impedibiliter futura sunt, certò & infallibiliter prænunciant. Ergo Deus verbis laudatis certam & infallibilem liberorum absolutè futurorum vaticinationem assignat, tanquam certissimum divinitatis indicium & prerogativam, sic ut si Gentilium numina libera absolutè futura certò & infallibiliter vaticinari possent, hoc ipso veri esse dii probarentur; & quia non possunt, hoc ipso falsitatis convincuntur. Ergo, &c.

Rectè igitur S. Augustinus lib. 5. de Civ. c. 9. contra Ciceronem disputans, ait: Confiteri esse Deum, & negare praescium futurorum, apertissima insania est. Quia scilicet hoc est, simul confiteri & negare Deum, negando divinitatis prerogativam, sine qua non est, nec esse potest divinitas. Unde contra eundem S. Doctor sub finem capitis sic argumentatur: *Aut Deum esse negat... aut si esse confitetur Deum, quem negat praescium futurorum, etiam sic dicit nihil aliud, quam quod ille dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Qui enim non est praescius omnium futurorum, non est utique Deus.* Porro observat hic S. Doctor, Ciceronem, quamvis ethnicum hominem, hoc vidisse, idèque in libris de Natura Deorum, non in propria, ne lectorum offensionem incurreret, sed in alterius persona contra divinitatem disputasse, & nullam esse divinam naturam ostendere, molitum esse. Adèdè clarè in idea divinitatis elucet vis certò & infallibiliter praesciendi & prænunciandi omnia etiam libera absolutè futura. Meritò igitur cum S. Doctore hic nos ut confitemur summum & verum Deum, ita voluntatem summamque potestatem, & praescientiam ejus confitemur.

Obj. 1. Libera absolutè futura non habent determinatam veritatem: non enim sunt determinata ad esse, quia non habent causam determinatam. Sed quod non habet determinatam veritatem, non potest cognosci. Ergo, &c. *R. n. maj.* Nam libera absolutè futura nondum quidem determinata sunt ad esse, sed determinabuntur. Similiter causa illorum nondum est ad agendum determinata, sed se ipsa determinabit. Unde determinatè verum est dicere: Talis causa se ipsa determinabit ad talem actum, & hinc talis actus habebit esse pro tali tempore. Quod est actum liberum absolutè futurum habere determinatam veritatem, ac proinde veram cognoscibilitatem saltem relatè ad intellectum divinum, quem, utpotè in supremo gradu intelligentis constitutum, nulla veritas determinata fugere potest.

Obj. 2. Si Deus praescit libera absolutè futura, vel ea praescit quia futura sunt, vel non. Item vel ea praescit necessariò, vel contingenter tantum. *R. ad 1.* libera absolutè futura non esse futura, quia à Deo praesciuntur futura; sed è contra praesciri futura, quia futura sunt. Hic autem to quia non significat aliquam objecti causalitatem, sed meram illius in esse veri praesuppositionem, quatenus Deus non praescit rem aliquam esse futuram, quia praesciendo facit illam esse futuram; sed quia aliunde verum est illam esse futuram, & ita praescientia divina supponit futuritionem rei in esse veri, ut ipsa sit in esse rei. Unde praescientia rei futura non dependet ab ejus futuritione, sed solum connexa est cum illa, ut logicè in esse veri priore, quatenus & ratione prius est, verum esse, rem esse futuram, quam praesciatur à Deo; & hoc ipso quòd verum est rem esse futuram, non potest non praesciri à Deo certò & infallibiliter.

Simonnet Theol. Tom. I.

R. ad 2. Deum libera absolutè futura praescire necessariò, non absolutè, sed ex hypothesi, quòd sunt absolutè futura; quatenus ita praescit esse futura, ut non praesciret, si non essent futura, & ita sunt futura, ut possent non esse futura, cum sint futura contingenter & liberè. At ubi re ipsa futura sunt, non possunt non praesciri ab eo, quem nulla veritas latere potest, propter infinitam ejus in intelligendo vim & amplitudinem, quae omnia omninò icibilia complectitur, & complectendo contemplatur.

Dices. Ergo datur in Deo scientia contingens. *Dist.* Datur in Deo scientia contingens contingencia imputabili objecto, cujus est scientia, C. Contingens contingencia imputabili intellectui divino, N. Nam in Deo praescientia rei futura non est contingens eo sensu, quòd, etiam supposita rei futuritione, possit intellectus divinus eam praescire, vel non praescire; intellectus enim divinus ex propria perfectione summè determinatus est ad intelligendum omne verum; sed solum contingens est hoc alio sensu, quòd, quia res futura sic est futura, ut posset non esse futura, sic à Deo ab aeterno ut futura praescitur, quia re ipsa futura est, ut si non esset futura, aliter à Deo praesciretur, nempe ut non futura. Quod magnam dicit imperfectionem in objecto, quod praescitur ut futurum, & ex se indifferens est ad existendum, vel non existendum; maximam verò perfectionem in intellectu divino, quem falli, & res aliter, quàm sunt, representare, absolutè repugnat.

Dices. Ergo Deus potest carere aliqua perfectione, quam habet nunc. Nam si res non esset futura, Deus non haberet futuritionis illius praescientiam, quam nunc habet. *R. n. instant.* Nam si res est futura, absolutè impossibile est, Deum non praescire futuritionem ejus. *Ad prob. R.* In hac hypothesi Deus non praesciret quidem rem esse futuram, at non idèd dici potest, posse carere aliqua perfectione, quam nunc habet, quia in hac hypothesi praescientia rei ut futura, non esset perfectio, sed imperfectio magna; esset enim error. Ex eo autem, quòd non possit Deus carere actu aliquo praescientiae, nisi eo casu, quo actus ille esset imperfectio, & actus falsus, conclusioni tantum potest, quòd sit incapax omnis imperfectionis & erroris.

Dices. Saltem Deus nunc habet aliquem actum praescientiae, quem posset non habere. *R. dist.* Quem posset non habere simpliciter, & quoad entitatem, N. Quem posset non habere secundum quid, C. Itaque Deus actum v. g. quo nunc praescit peccatum Antichristi esse futurum, non potest non habere simpliciter, seu quoad entitatem, quia hujus actus entitas est ipsamet substantia intellectus divini: at potest illum non habere secundum quid, quatenus intellectus divinus sic se ipso est perceptio peccati ut futuri, quia re ipsa futurum est, ut non esset perceptio peccati ut futuri, si non esset futurum. *Nota.* In Deo perceptio peccati Antichristi ut futuri, est etiam in recto intellectus divinus, non simpliciter, sed cum addito, quòd est purus status, nempe intellectus divinus se ipso vitaliter tendens sic in peccatum Antichristi.

At inquit. Ergo Deus mutari potest. *R. N.* Nam absolutè implicat intellectum divinum non solum ab una entitate ad aliam, aut à non entitate ad entitatem, sed etiam ab uno statu ad alium, aut à non statu ad statum transire. Intellectus enim divinus ab aeterno & pro aeterno uno & eodem actu invariabiliter intelligit omne intelligibile, & quidem omnimodo, quo sine imperfectione intelligi potest: vel, si vis, intellectus divinus ab aeterno & pro aeterno est se ipso invariabiliter perceptio omnis intelligibilis omni modo, qui intellectum infinite perfectum non dedecet. Non potest igitur non semper & pro semper habere eundem statum, & modum se habendi. Ergo prorsus invariabilis est, & incapax omnis mutationis: cum omnis mutatio sita sit essentialiter in aliquo motu seu transitu ab uno ad aliud.

Obj. 3. Si Deus praesciret libera absolutè futura, essent

D 3 liberè

liberè futura, & non essent. Essent, ut supponitur, & non essent, quia præscientia divina, utpote absolute infallibilis, necessitatem illis imponeret aliquando existendi. *Conf. implicat. Ergo, &c. R. n. seq. maj.* Illa enim libera absolute futura, quæ præsciuntur à Deo, tam sunt futura liberè, quàm si à Deo non præscirentur. Ratio est, quia præscientia divina nec in futuritionem, nec in modum futuritionis rerum, quas præscit Deus, ullatenus influit: cum enim res, quas Deus præscit, non sint futurae, quia Deus eas præscit esse futuras, sed è contra Deus eas esse futuras præsciat, quia sunt futurae; similiter cum res illæ, quas præscit Deus, non sint tali modo, necessariò scilicet vel liberè futurae, quia Deus præscit eas tali modo futuras esse, sed è contra Deus eas tali modo futuras esse præsciat, quia tali modo futurae sunt, præscientia divina præsupponit & futuritionem & modum futuritionis rerum, quas Deus præscit, & ita nec futuritio, nec modus futuritionis rerum, quas Deus præscit, ullatenus dependere à præscientia divina potest, velut à causa. Nam implicat causam effectum suum præsupponere.

Nota. Præscientia divina est actus Deo immanens, merè speculativus, nihil ad extra sive immediatè sive mediatè operans, quo intellectus divinus purè contemplatur objectum sibi exhibitum, & quale sibi exhibetur. Unde præscientia divina se habet ad instar speculi representantis ea quæ sibi obijciuntur, & eo planè modo, quo obijciuntur, nulloque pacto influentis in ea quæ representat; & præscientia divina non magis nocet libertati futurorum, quæ præsciuntur à Deo, quàm speculum, hominis ante ipsum stantis motus representando, nocet eorum libertati. Speculum autem non impedit libertatem motuum, quos representat, quia illos supponit, nec ullatenus in illos influit. Similiter præscientia divina, supponens futuritionem rerum, nec ullatenus in eam influens, neque impedit, neque impedire potest ejus libertatem: imò verò est invictissimum illius argumentum. Cum enim Deus non solum præsciat futuritionem rerum, sed etiam modum hujus futuritionis, & ita res, quæ liberè fient à creatura rationali, præsciat esse liberè futuras, tam necesse est, ut res illæ non solum fiant, sed etiam liberè futuras aliquando, quàm impossibile est Deum falli, præsciendo illas non solum futuras, sed etiam liberè futuras aliquando. Ita docet Sanctus Augustinus lib. 5. de Civ. cap. 9. *Voluntates nostræ, inquit, tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque præscivit: & ideo quidquid valent, certissime valent, & quod factura sunt ipsæ, omnino factura sunt, quia valuerunt, atque facturas ille præscivit, cujus præscientia falli non potest.*

Dices. Si Deus præscit v. g. peccatum Antichristi futurum, Antichristus non poterit non peccare. Ergo necessariò peccabit. Ergo præscientia divina imponit necessitatem rebus prævisis. *R. n. seq. ant. Probabis.* Si Antichristus poterit non peccare, vel poterit non peccare in sensu composito præscientiæ de peccato, vel in sensu diviso, qui sit in ejus potestate. Neutrum dici potest. Non primum. Alioqui Antichristus poterit componere negationem peccati cum præscientia de peccato, & ita facere, ut Deus præsciverit tantum futurum, quod non fuit futurum, hoc est, ut Deus præsciendo erraverit. Quod repugnat. Non etiam secundum. Nam Antichristus non poterit tollere aut mutare præscientiam de suo peccato. Ergo, &c. *R. n. min.* Et dico quòd Antichristus poterit non peccare in sensu diviso præscientiæ de peccato, & quòd sensus ille divisus erit in ejus potestate. Non quia poterit tollere, aut mutare præscientiam de peccato: hoc enim implicat, cum intellectus divinus sit essentialiter invariabilis, & non possit non habere ab æterno & pro æterno actum aliquem, hoc ipso quòd supponitur illum aliquando habere: sed quia indirectè poterit impedire, ne unquam fuerit illa præscientia, seipsum determinando ad non peccandum. Nam si non peccaret, nunquam verum fuisset ipsum pecca-

turum, sed è contra semper verum fuisset ipsum non peccatum, & ita nunquam à Deo prævisum fuisset, ut peccatum, sed è contra semper à Deo præscitum fuisset, ut non peccatum. Ergo se ipsum determinando ad non peccandum, indirectè impediret, ne unquam fuisset præscientia de suo peccato. Ergo potest indirectè illam impedire, ne unquam fuerit, si etiam ex illius hypothese potest se ipsum determinare ad non peccandum. Quòd autem hoc possit, patet ex eo quòd præscientia, etiam supposita existere, nihil planè immutat in objecto, de quo aliquid præscitur. Unde Antichristus etiam in sensu composito præscientiæ de suo peccato, tam poterit se ipsum determinare ad peccandum, vel non peccandum, quàm si nihil de ipso à Deo præsciretur.

Dices. In hoc enthymemate: Deus præscit Antichristum esse peccatum: ergo Antichristus peccaturus est: consequentia necessaria est. Nam consequens ita connexum est cum antecedente, ut veritatem antecedentis stare cum falsitate consequentis, absolute repugnet. Ergo in hoc enthymemate consequens necessarium est, proindeque Antichristus non poterit non peccare, si Deus præscit eum esse peccatum. *R. n. conseq.* Aliud enim est veritatem consequentis inseparabiliter connexam esse cum veritate antecedentis, & aliud consequens esse necessarium. Nam, non obstante hac connexionione, si antecedens contingens est, ut accidit in allato enthymemate, consequens non potest non esse contingens. Sicut ergo Deus contingenter præscit Antichristum peccatum esse; non enim Deus independenter ab omni hypothese præscit Antichristum esse peccatum; ita Antichristus contingenter peccaturus est, & contingenter peccaturus est, quia liberè peccaturus est.

Præterea, cum consequens non sit, quia antecedens est, sed è contra antecedens sit, quia consequens est, consequens nullam necessitatem lumere potest ab antecedente, sed è contra antecedens necessitatem, si quam habet, sumit à consequente. Et verò Deus non necessariò præscit Antichristum esse peccatum, nisi ex hypothese, quòd Antichristus rei ipsa peccaturus est. Unde in allato enthymemate consequens nullam habet necessitatem, nisi à se ipso, sive ab exercitio propriae libertatis, & ita vel nullam, vel non nisi consequentem necessitatem habet, quatenus ex hypothese quòd Antichristus sit peccaturus, non potest non esse peccaturus, quia implicat eundem pro eodem tempore simul esse peccatum & non peccatum.

Denique do instantiam. Si Deus præscit Antichristum liberè peccatum esse, liberè peccaturus est. Alioqui falsa esse posset præscientia divina. Atqui Deus præscit Antichristum liberè peccatum esse. Deus enim non solum præscit actus futuritionem, sed etiam ejus modum, & fides docet Antichristum liberè peccatum esse. Ergo Antichristus liberè peccaturus est. In hoc syllogismo consequentia necessaria est, & consequens ita connexum est cum antecedente, ut non possit non esse verum, supposita veritate antecedentis. Unde apparet, non modò præscientiam divinam non officere libertati actus à Deo præsciti, sed è contra ex præscientia illa per consequentiam necessariam actus à Deo præsciti libertatem inferri, & ita præscientiam divinam non esse impedimentum, sed invictissimum argumentum libertatis actuum creaturæ rationalis à Deo præscitorum. Unde confidenter cum S. Augustino loco citato, liberorum omnium absolute futurorum præscientiam in Deo agnoscimus. *Nec timeamus, ne ideo voluntate non faciamus, quod voluntate facimus, quia id nos facturos ille præscivit, cujus præscientia falli non potest.*

Quæres 1. utrum Deus cognoscat non entia, hoc est, impossibilia & entia rationis, quæ habent tantum esse objectivè in intellectu creato.

R. affirmative. Nam Deus perfectè comprehendit intellectum creatum. Ergo Deus perfectè cognoscit cogitationes omnes, quas habet, vel habere potest intellectus creatus. Ergo Deus perfectè cognoscit objecta

objecta cogitationum omnium, quas habet, vel habere potest intellectus creatus. Sed intellectus creatus fingere potest, & sapè fingit, representando sibi multa ut entia, quæ tamen nec sunt, nec esse possunt, quæque proinde non possunt aliter existere, quam objective & representativè in intellectu. Ergo Deus impossibilia & entia rationis perfectè cognoscit, nec ideo dici potest facere entia rationis. Aliud enim est representare per modum existentis, id quod nec existit, nec potest existere, ut facit intellectus creatus, qui ideo rectè dicitur facere entia rationis; & aliud cognoscere actum representantem per modum existentis, aliquid, quod nec est, nec potest esse, ut facit intellectus divinus, qui proinde non facit, sed solum cognoscit entia rationis.

Quæres 2. utrum Deus cognoscat omnia mala. *R.* affirmative. Nam 1. cognoscit omnia mala culpe: punit enim omnia, & tamen omnia punire non potest, nisi omnia cognosceret. 2. Cognoscit omnia mala pœnæ: infigit enim omnia, ut ipse testatur in pluribus Scripturæ locis. 3. Cognoscit omnia mala naturæ. Mala enim naturæ sunt monstra. Atqui omnia monstra cognoscuntur à Deo: omnia enim producantur à Deo: cum sint entia realia. Ergo, &c.

Q U Æ S T I O III.

*De medio cognitionis divina circa ipsum Deum,
possibilia, & res omnes aliquando
existentes.*

ARTICULUS I.

Utrum Deus videat se ipsum in aliquo medio.

R E S P O N S I O I.

DEus non videt se ipsum per speciem impres-
sam.

Prob. Nam si Deus videret se ipsum per speciem impressam, 1. daretur in Deo compositio realis ex intellectu divino & specie illa: quod repugnat summæ simplicitati divinæ. 2. Intellectus divinus ad intelligendum completeretur per aliquid sibi realiter superadditum: quod repugnat summæ ejus perfectioni. 3. Daretur accidens perfectè & adequatè repræsentativum divinitatis, & quod proinde esset simpliciter infinitum in repræsentando: quod repugnat creaturæ. 4. Deus dependeret dependentia propriè dicta ab ente creato: quod repugnat enti à se, & primo rerum omnium principio, &c.

Præterea, sublata omni specie impressa, Deus habet quidquid requiritur, ut se ipsum perfectissimè & comprehensive intelligat. Nam 1. intellectus divinus ex se summè completus & determinatus est ad intelligendum; unde non indiget aliquo, à quo ad intelligendum compleatur & determinetur. 2. Essentia divina est summè intelligibilis, unde non indiget aliquo, per quod intelligibilis fiat. 3. Eadem essentia divina est perfectissimè præzens intellectu divino per identitatem perfectissimam; unde non indiget aliquo, per quod cum intellectu divino conjungatur. Ergo sublata omni specie impressa, Deus se ipsum perfectissimè & comprehensive intelligit. Vide Resp. 6. art. 1. Quæst. 1. ubi demonstratum est Deum nihil planè intelligere dependenter à specie impressa, aut motivo quovis propriè dicto.

R E S P O N S I O II.

Deus ad perfectam & comprehensivam sui cognitionem non indiget medio, in quo ratione prius cognito se ipsum cognoscat: imò nec tale medium cognitionis sui habere potest.

Prob. 1. pars. Nam 1. Deum, ad se ipsum perfectè & comprehensivè cognoscendum, indigere aliquo alio à se, manifestè repugnat rationi Entis, quo nihil melius esse vel cogitari potest, & quod proinde omnis indigentia dedecet. 2. Illud medium, quo Deus in

digeret, vel indigeret alio medio, in quo ratione prius cognito ipsum cognosceretur, vel non indigeret. Neutrum dici potest. Non primum. Alioqui admitendus est processus in infinitum in mediis cognoscendi: quod est absurdum. Non secundum. Nam si medium illud per se immediate cognosci posset, & cognosceretur, à fortiori essentia divina potest per se immediate cognosci, & per se immediate cognoscitur ab intellectu divino, cui perfectius conjuncta est, quam esset medium illud, in quo per se immediate cognito cognosceretur, & insuper nec minus intelligibilis, minùse intellectui divino proportionata dici potest.

Prob. 2. pars. Nam medium, in quo ratione prius cognito Deus se ipsum perfectè & comprehensivè cognosceret, aut esset aliquid perfectius, quàm essentia divina, aut aliquid æque perfectum, aut aliquid minus perfectum. Nihil horum dici potest. Non primum, aut secundum. Deus enim est Ens summum. Summum autem nec superari, nec aquiri potest. Non tertium. Non enim sine manifesta absurditate dici potest, quod aliquid minus perfectum, ratione prius cognitum, possit esse ratio perfectè & comprehensivè cognoscendi aliud perfectius. Sic v.g. falsò & absurdè diceretur, ternarium cognitum esserationem perfectè cognoscendi senarium, animal cognitum esse rationem perfectè cognoscendi hominem, &c. Et verò obiectum aliquod, ut cognitum, caren-
tibus potest esse ratio perfectè cognoscendi aliud, quatenus in eo cognito elucere possunt omnes perfectiones alterius. At in minus perfectò, quantumvis præcognito, perfectiones omnes alterius perfectioris elucere repugnat. Nam in eo neque formaliter, neque eminenter, neque æquivalenter continentur omnes. Superest igitur, ut dicamus Deum se ipsum in seipso, hoc est, se ipsum per se immediatè, & absque ullo medio perfectè & comprehensivè cognoscere.

Dices. Creaturæ, ut ratione priùs perfectè cognita, possunt esse ratio cognoscendi id omne, ad quod habent habitu dinem transcendentalem: non enim possunt cognosci perfectè, quin cognoscantur perfectè earum habitudines; nec perfectè cognosci possunt earum habitudines, quin distinctè cognoscantur termini habitudinum illarum. Atqui creaturæ omnes habent habitu dinem transcendentalem ad Deum, ut primum principium, ideam objectivam, finem ultimum rerum omnium, & continentem excellenter omnium entium perfectiones. Ergo creaturæ, ut ratione priùs perfectè cognita, possunt esse ratio cognoscendi Deum, ut primum principium, ideam objectivam, &c. Sed Deus perfectissimè comprehendit creaturas omnes. Ergo possunt esse & sunt Deo ratio cognoscendi se ipsum, ut primum principium, ideam objectivam, &c.

R. 1. Infantiam hanc non esse ad rem. Nam, quod nobis sufficit, solum hic volumus Deum nec habere, nec posse habere extra se medium, in quo, ut ratione prius quantumvis perfectè cognito, se ipsum perfectè & comprehensivè cognoscat. Quòd autem Deus non possit saltem perfectè & comprehensivè cognoscere se ipsum in creaturis, etiam ut ratione prius ab ipso perfectissimè comprehensis, patet ex eo, quòd creatura non habeant habitudinem transcendentalem ad omnes perfectiones divinas, sed ad aliquas tantum. R. 2. Deum eodem indivisibiliter actu se ipsum comprehensive cognoscere, in se ipso comprehensive cognito perfectissimè cognoscere creaturas omnes, & omnes earum habitudines, & in earum habitudinibus perfectissimè cognitis se ipsum cognoscere ut primum principium, ideam objectivam, &c. ut docent Recentiores nonnulli, nec videtur esse inconveniens. Non enim inde sequitur, quòd Deus habeat cognitiones sui inadæquatas & præcisivas. Quia in Deo cognitio, qua se ipsum cognoscit in creaturis ut primum principium, ideam objectivam, &c. est eadem illa cognitio, qua omnes suas perfectiones simul cognoscit, & se ipsum perfectissimè comprehendit, ut patet ex dictis. Quid, si quis mallet dicere Deum